

www.e-rara.ch

Omnes quae extant D. Hieronymi Stridonensis lucubrationes

Hieronymus, Sophronius Eusebius

Basileae, [1536-1538]

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: FM1 II 1-6

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-62470>

Commentarii in epistolam ad Philippenses

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Atem non solum peccatoris conscientiam, sed & uentris continentiam: necnon & ad fœmorū usq; pertingit libidinem coercendam. **a** ¶ Et calciati pedes in præparatione euangelij pacis. Cum fiducia incedentes inrepi de prædicare. **b** ¶ In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. In omnibus certaminib; si de muniatur. Quia sicut scutū ipsorum quoq; armorum defensio est: & sine hoc omnis armatus inermis est: ita & hæ uirtutes sine fide saluare non possunt. Nam si cut scutum omnia iniecta repellit & recutit: ita & fides omnes diaboli persuasiones extinguit, quamuis quasi lumen rationis habere uideantur. **c** ¶ Et galeam salutis assumite. Quæ omnes capitis sensus, à prauis officijs protegat & abscondat. **d** ¶ Et gladium spiritus, quod est uerbum dei. Nemo militum audet ad bellum sine gladio proficisci: se enim utiq; tueri potest, sed hostem non ualet occidere. Nonnunquā etiam ab audaci inimico perimitur, & armis omnibus expoliatur: ita sine dei uerbo, iusticia omnis intuta est. **e** ¶ Per omnem orationem & obsecrationem. Semper hunc gladium postulate. **f** ¶ Orantes omni tempore in spiritu. Non impediatis orare semper: & pro rebus spiritualibus deprecari. **g** ¶ Et in ipso uigilantes omni instantia & obsecratione. Nihil enim prodest dormientis more latere corpore, & animo prægrauari, dum in hac uanitate nec ab

homine possit aliquid impetrari. **h** ¶ Pro omnibus sanctis. Sancti estote, ut possitis orare pro sanctis. **i** ¶ Et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere mysteriū euangelij. Ut abundanter & sine metu exponam persecutiones uel odia iudeorum, muniti in Christi populi ratione.

k ¶ Pro quo legatione fungor in catena ista, ita ut in ipso audeam prout oportet me loqui. Omnis enim uerbi legator, talia necesse est ut sustineat, sed uerbum dei nō potest alligari: tūc enim maior fiducia erit si rationabiliter dicatur, & si abundanter exprimat ratio. **l** ¶ Ut autem & uos sciatis quæ circa me sunt, quid agam: omnia uobis nota faciet Tychicus charissimus frater, & fidelis minister in domino, quem misi ad uos in hoc ipsum, ut cognoscatis quæ circa nos sunt, & cōsoletur corda uestra. Sollicite agit, non solū ut pro-

ciati pedes in præparatione euangelij pacis. In omnibus sumentes scutū fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Et galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est uerbum dei, per omnem orationem & obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu, & in ipso uigilantes in omni instantia & obsecratione pro omnibus sanctis, & pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere mysteriū euangelij: pro quo legatione fungor in catena ista, ita ut in ipso audeam prout oportet me loqui. Ut autem & uos sciatis quæ circa me sunt, quid agam: omnia uobis nota faciet Tychicus charissimus frater, & fidelis minister in domino, quem misi ad uos in hoc ipsum, ut cognoscatis quæ circa nos sunt, & cōsoletur corda uestra. Pax fratribus & charitas cum fide à deo patre nostro & domino Iesu Christo. Grātia cum omnibus qui diligunt dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione. Amen.

ficiant, sed & ne in tribulationibus deficiāt, uel ne in aliquo contristentur. **m** ¶ Pax fratribus & charitas cum fide à deo patre nostro & domino Iesu Christo. Pax & charitas & fides, perfectum faciūt Christianum. Tamen sine fide infructuosa est charitas, sicut fides sine charitate uel pace. Charitas maior est pace. Potest enim odio non haberi quis, non tamen & amari. **n** ¶ Gratia cum omnibus qui diligunt dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione. In quorum corde, adulterino more per secularia Christi dilectio non uiolatur.

COMMENTARIUM IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

PAULUS & TIMOTHEUS serui Iesu Christi. Ambo serui, non ambo apostoli. Omnis enim apostolus seruus, non omnis autem seruus apostolus.

p ¶ Eo omnibus sanctis in Christo Iesu &c. Quia nemo sine Christo sanctus est: & sanctis, nō omnibus Philippensibus etiam paganis. **q** ¶ Cum omnibus episcopis &c. Hic episcopos presbyteros intelligimus: non enim in una urbe plures episcopi esse potuissent, sed etiā hoc in apostolorum actibus habet. **r** ¶ Gratias ago deo meo in omni memoria ur̄i. Bonorū memoriā cū gratiarum actione celebrat. **s** ¶ Semper in orationibus meis. Ostendit circa eos dilectionem suam, pro quibus semper oret.

AD PHILIPPENSES



PAULUS & TIMOTHEUS serui Iesu Christi, omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cum episcopis & diaconibus: Gratia uobis & pax à deo patre nostro & domino Iesu Christo. Grātias ago deo meo in omni memoria uestri, semper in cunctis orationibus meis, pro omnibus uobis cū gaudio, deprecatione faciens super cōmunicatōne uestra in euangelio Christi: à primā die usq; nunc, cōfidēs in hoc ipsum, quia qui coepit in uobis opus bonū, perficiet usq; in diem Christi Iesu. Sicut est mihi iustum hoc sentire pro omni-

uenturū. **d** ¶ Sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus uobis &c. Charitas enim omnia sperat. **e** ¶ Eo quod

t ¶ Pro omnibus uobis &c. Quia omnes tales estis. **u** ¶ Cum gaudio deprecationem faciens. Non in peccati alicuius tristitia uel moerore. **x** ¶ Super cōmunicatōne uestra in euangelio. Quia mihi communicatis in euangelio predicando. **y** ¶ A primā die usque nūc. Ab initio fidei uestræ, deprecor ut perseueretis: siue quod communicatis ab initio predicando. **z** ¶ Cōfidēs in hoc ipsum. Confido me impetrare. **a** ¶ Quia qui coepit in uobis opus bonum. Coepit doctrinā siue gratiam scientiæ largiendo. **b** ¶ Perficiet. Perficiendo quod docti fuerint ut doceat. **c** ¶ Usq; in diem Iesu Christi. Usq; ad diem, quo de corpore recedebat. Ex quo iam ad domini uniusquisque seruatur aduenturū. **d** ¶ Sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus uobis &c. Charitas enim omnia sperat. **e** ¶ Eo quod

A ¶ **a** ¶ Eo quod habeam uos in corde &c.] Tantū uos diligo ut mihi memoriam uestri, nec hæc tribulatio, nec sollicitudo defensionis auferat. **b** ¶ Et cōfirmatione euangelij.] Confirmatio euangelij, est cōstans tolerātia prædicantis. **c** ¶ Socios gaudij mei omnes uos esse.] Hoc sentio de uobis & cre-

do, q̄a sicut meæ tribulationis socij estis, ita eritis & gaudij semipiterni. Siue sic: scio uos ita euangelio credidisse, ut etiam in tribulationibus meis, p̄ eius defensione mecum pariter gaudeatis.

d ¶ Testis enim mihi deus &c.] Siue esse eius in uiscerib⁹: siue ita uos desidero tanquam uiscera Christi. **e** ¶ Et hoc oro ut charitas &c.] Vt uos in eo quod habetis, amplius abundetis.

f ¶ In scientia &c.] Notandū quia scientibus adhuc scientiam deprecatur, ut synceres in omnibus esse ualeant. Nemo enim æger an sanari possit agnoscat. **g** ¶ Vt sitis synceres &c.] Synceris materia ē quæ naturam suā seruat nulla extrinsecus corruptione fucata: tale uinum semper in meli⁹ proficit nō in peius.

B **b** ¶ Repleti fructu.] Non solum synceres ab omni corruptione sitis, sed etiam fructu iusticiæ abundetis, exemplo Christi, qui non modo malitiam non habet, sed etiā bono redundat.

i ¶ In gloriā & laudem &c.] Vt gloriatur deus in actib⁹ uestris. **k** ¶ Scire autē uolo &c.] Hic consolatur eos de sua tribulatione, q̄a audierant eum uinctū in urbe Roma custodiri.

l Magis ad profectum uenerunt &c.] Non solum nō obsunt, sed etiam profuerunt, dum manifestatur me non pro aliquo crimine, sed pro Christo omnia sustinere. **m** ¶ Vt plures.] Plures mea tribulatione constantes effecti sunt q̄ doctrina. **n** ¶ Confidentes &c.] Vinculorū meorum exemplo sunt incitati, dum m̄ uiderūt pro Christo libentissimè sustinere. **o** ¶ Quidam quidem &c.] Dum mihi apud credentes gloriā auferre se putāt, ne solus mihi uen dicare uidear scientiā prædicādi. **p** ¶ Quidam autem propter bonam &c.] Alij etiam alios saluare uolentes, si deliter Christum annunciant. **q** ¶ Quidam ex charitate &c.] Quidā uero ex mea charitate adiuuant me euangelium defensando. **r** ¶ Scientes quoniā in defensione euangelij &c.] Nō humana dilectionis affectu, sed quia sciunt me a dño ad defendendū euangelium ordinatū. **s** ¶ Quidam autē ex contentione &c.] Alij dolore prædi-

cat ad me grauādū, quasi plures discipulos faciētem, & doctrina mea totū orbē implere conātem, ut ex hoc saltem maior mihi cumulet in iuria uel pressura. **t** ¶ Quid em̄ dum omni modo siue per occasionem.] Odi uel inuidiā. **u** ¶ Siue per occasionē &c.] Simplicis uel pura prædicationis.

pro omnibus uobis, eo quod habeam uos in corde & in uinculis meis, & in defensione & cōfirmatione euangelij socios gaudij mei omnes uos esse. Testis enim mihi est deus, quomodo cupiam omnes uos esse in uisceribus Iesu Christi. Et hoc oro, ut charitas uestra magis ac magis abundet in scientia & omni sensu, ut probetis potiora: ut sitis synceres & sine offensa in diem Christi, repleti fructu iusticiæ per Iesum Christum in gloriā & laudem dei. Scire autem uolo uos fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum uenerūt euangelij, ita ut uincula mea manifesta fierēt in Christo, in omni pretorio, & in cæteris omnibus, ut plures ē fratribus in domino cōfidentes, in uinculis meis abundantius audent sine timore uerbum dei loqui. Quidam quidem & propter inuidiam & contentionem. Quidam autem & propter bonam uoluntatem Christum prædicant. Quidam ex charitate, scientes quoniam in defensione euangelij positus sum. Quidam autem ex cōtentione Christum annunciant non syncere, existimantes pressuram se suscitare uinculis meis. Quid enim? Dum omni modo siue per occasionē, siue per ueritatē Christus annuncietur: & in hoc gaudeo, sed et gaudebo. Scidē em̄ quia hoc mihi pueniet ad salutē per uestram orationē, & subministrationē spiritus Iesu Christi, secundū expectationē & spem meā, quia in nullo cōfundar, sed in omni fiducia sicut semper: & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, siue per uitam, siue per mortem. Mihi enim uiuere Christus est, & mori lucrum. Quod si uiuere in carne hic mihi fructus operis est, & quid eligam, ignoro: coartor autem ē duobus, desiderium habens dissolui & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne necessarium propter uos. Et hoc confidens scio, quia manebo & permanebo omnibus uobis ad

pore meo.] Inimicis suis insultat q̄ ei nocere nō ualeāt. Si enim eum occiderint, martyrio coronabit. Si seruaerint ad Christum annunciadū, plurimum facient fructum. **e** ¶ Siue per uitā &c.] Et uita nostra & mors ad magnificentia pertinet Christi. **f** ¶ Mihi em̄ &c.] Nō alia causa uolui uiuere nisi Christi, ut eius corpus ædificem. **g** ¶ Et mori lucrum.] Corona. **h** ¶ Quod si uiuere in carne hic mihi fruct⁹ &c.] Si uiuere in carne me uoluerint, habebō tēpus operandi. **i** ¶ Et quid eligam ignoro &c.] Intantū mihi utraq; cōueniunt, ut quid eligam scire non possim. **k** ¶ Desiderium habetis dissolui &c.] Illud meli⁹ mihi, istud necessariū uobis. Et mortem illos nō timere, sed diligere debere eos, suo demonstrat exemplo: & ut nō contristent, mansurū se in carne spiritu prophetico promittit. **l** ¶ Et hoc confidens &c.] Non solū credo, sed etiam certissime noui. **m** ¶ Et permanebo omnibus uobis.] Nō mihi, id est, nō mei causa.

H 2 ¶ Ad pro-

A ^a ¶ Ad profectum uestrum & gaudiū fidei. ¶ Vt profectum de fructu fidei uestre & gaudium habeatis, siue ut gaudeatis, quia uestra me fides & oratio conseruauit.
 b ¶ Vt gratulatio uestra abundet in Christo Iesu &c. ¶ Vt postq̃ uiserim uos, iterum abundantius gratulemini.

c ¶ Tantum digni.]

Oīa eius praecepta seruantes, siue digne euangelij praeceptoribus conseruare debetis. d ¶ Vt siue cū uenero &c.] Sicut legimus, quia erat eis cor unum & aīa una, nec quisq̃ suum dicebat, sed erant illis omnia communia.

e ¶ Vnanimē collabores fidei euangelij. ¶ Omnis pugna u. nanimē aggressa uictoria parit. f ¶ Et in nullo terremini.]

Nec uersutis disputatōibus opprobrijsq̃ turbemini. Quia uobis magis ad mercedem possunt prodesse. Sicut apostoli ibāt gaudentes, quia pro nomine domini digni habiti sunt contumeliam pati. g ¶ Et hoc a deo &c.] Quia uult uos coronari per batos, sicut Iob permittitur tētari. Quia nec uinci habebat, & eius gloria amplianda erat aduersario superato atq̃ confuso.

h ¶ Vt non solum.] Occasio fidei a deo donata est, quia si nō uenisset Christus & docuisset, non utique

crederemus: ceterum & fidem uoluntariā in actibus legimus: non solum ergo uult ut fidei meritū, sed etiam ut martyrij praeuium habeatis, dum uos tentari deus patitur ut uincatis. i ¶ Idem certamen habentes &c.] Nihil nouum patimini, sed hoc quod praesentes uidistis in me, & nunc absentes de me audistis. Nō sit ergo illud uobis indignū, in quo nos conspexistis gloriari. Cap. II

¶ Si qua ergo consolatio in Christo.] Si in omni tribulatione ab ipso solo consolamini, non sit uestra consolatio, patrimonium terrenum. l ¶ Si quod solatium charitatis.] Charitas Christi, non amicorum. m ¶ Si qua societas spiritus.] Spiritualium nō carnalium. n ¶ Si qua uiscera miserationis.] Vestri misereamini potius q̃ parentum. o ¶ Implete gaudium meum.] Quod iam habeo ex parte, in talibus enim doctor exultat. Aliter, si qua mihi a uobis consolatio exhibetur in Christo, & si quod solatiū charitatis, si qua uos societas spiritus connectit, & si qua sint apud uos uiscera pietatis, hoc mihi praestate, quod rogo, ut gaudium nostrum unitatis & electionis impleatis. p ¶ Vt idem sapiatis, eandē charitatem habentes &c.] Nolite charitatem scindere, sentiendo diuersa. q ¶ Nihil per contentionem, neq̃ per inanem gloriam.] Ne aliquid non dei aemulatione faciat, sed ut quisq̃ alius uideatur. r ¶ Sed in omni humilitate superiores sibi nuicem arbitantes.] Si omnes a quibus iniuriā patimur, superiores arbitremur, facile pa-

cientiam seruaremus. Nemo enim a patre uel a domino agre fert se iniuriā consecutum. s ¶ Non quā sua sunt singuli considerantes, sed quā aliorum.] Non quā nobis solis expediunt, sed quā & alijs profunt. t ¶ Hoc enim sentite in uobis qd̃ & in Christo Iesu.] Vult ostendere Christum, non

pro se, sed p̃ alijs passum: siue tam humilis sensus sit in uobis quā fuit i Christo. Multi praeterea hunc locum ita intelligūt, quod secundum diuinitatem se humiliauerit Christus, secundū formam uidelicet, secundum quā aequā aequalitatem dei, non rapinā usurpauerit, quā naturaliter possidebat: Et exinanuit se, non substantiā euāgens, sed honorem declinans, formā seruī: hoc est naturā hominis induendo, & p̃ omnia homo tantummodo atq̃ humilitas suā obediētiam nec crucis mortem recusando. Quod in Christo Iesu, secundum q̃ unctus est, Christus est, Iesus nomen accepit: hoc est secundum hominem. u ¶ Qui cum in forma dei esset, in qua erat, siue quia absque peccato erat ad imaginem dei scilicet. x ¶ Non rapinā arbitratus est se esse aequalem deo, sed semetipsum exinanuit &c.] Quod erat humilitate, cala-

uit, dans nobis exemplum ne in his gloriemur quā forsitan non habemus. y ¶ Formam serui accipiens.] Ita ut etiam pedes lauaret discipulorum. z ¶ In similitudinem hominum factus.] Interdum similitudo recipit ueritatem, nam genuit Adem filium secundum imaginem & similitudinem uiam, & uocauit nomē eius Seth. In similitudine humana humilitate seruando cum omniū dominus esset. a ¶ Et habitu inuentus ut homo.] Hoc ut uerum sit, sicut quasi unigeniti a patre ita intelligendum. b ¶ Humiliauit semetipsum factus obediens usq̃ ad mortem.] Vt nobis perfectae obediētiae monstraret exemplum. c ¶ Mortem autem crucis.] Quā nulla mors potest esse deterior. d ¶ Propter quod & deus exaltauit &c.] Quia se assumptus homo humiliare dignatus est, diuinitas quā humiliari nō potest, eum qui humiliatus fuerat exaltauit. Sed & illi donatum est nomen quia ante non habuit: unde rectius locus hic secundum humanam naturā intelligendus est q̃ diuinam. Si ergo nos ex alto respicimus, exemplo Christi fratribus seruamus. Si enim ille dominus & magister, seruis & discipulis ministrāuit, quanto magis nos aequalibus & maioribus seruire debemus, & deo & sanctis eius usq̃ ad mortem etiam obedire, ne magistrum humilem, superbi discipuli non sequamur: & dominum mitem, serui contemnamus ingrati. e ¶ Quod est super omne nomē.] Cui enim angelorum dixit, filius meus es tu. ¶ Vt in no-

A ¶ Vt in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium. ¶ Vt omnes simul hominē adorent cum uerbo assumptum. **b** ¶ Et infernorum. ¶ Hic infernorum custodes inducit. **c** ¶ Et omnis lingua confiteatur. ¶ Omnium gentium scilicet. **d** ¶ Quia dominus Iesus Christus in gloria est dei patris. ¶ Hoc est in natura & gloria deitatis, dum eiusdem est gloria cuius pater. **e** ¶ Itaque charissimi mei sicut semper obedistis. ¶ Exemplo eius qui usque ad mortem obediuit. **f** ¶ Non in praesentia mei tantum. ¶ Quasi serui ad oculum seruientes. **g** ¶ Sed multo magis nunc in absentia mea. ¶ Quia si quid me praesenti liberior agerem, corrigere poteram. **h** ¶ Cum metu & tremore salutem uestrā operamini. ¶ Non cum negligentia, sed sicut ait Iob: Verebar omnia opera mea propter deū, sciens quod non parceres delinquenti. Et super humile & quietum & tremētem uerba dei spiritus sanctus requiescit. **i** ¶ Deus est enim qui operatur in uobis, & uelle & perficere. ¶ Velle operatur suadendo, & praemia promittendo. Qui perseverauerit usque in finem, hic saluus erit. Caterum proficere nostrum omnino nec uelle, quicquid est: quia utriusque eiusdem loci definitione tenetur. **k** ¶ Pro bona uoluntate. ¶ Si in ea maneatis. **l** ¶ Omnia autem facite sine murmurationibus. ¶ Ingratus est seruus, qui grauius domini sui queritur esse praepcepta. Qui enim murmurat de praepceptis, dubitat de praemiis. Hic etiam si operatur, non est sine querela. Vnde alibi ait: Neque murmuraueritis, & cetera. **m** ¶ Et habitationibus. ¶ De mercede futura. **n** ¶ Vt sitis sine querela, & simplices sicut filij dei sine reprehensione. ¶ Sicut deus uos fecit. Considerate cuius filij sitis, qui cum in omnibus sanctus ac purus sit, filios non potest habere degeneres. **o** ¶ In medio nationis prauae atque peruersae. ¶ Quae omnem rationabilis naturae peruerit ordinem & perdidit. **p** ¶ Inter quos lucete sicut luminaria in mundo. ¶ Sic luceat dei genus in genere humano, sicut sol & luna illuminant mundum. **q** ¶ Verbum uitae continentibus. ¶ Vt per uos illuminetur & exemplo confirmetur. **r** ¶ Ad gloriam meam. ¶ Gloria patris filiorum est, ut ait Salomon. **s** ¶ In die Christi. ¶ In die iudicii. **t** ¶ Quia non in uacuum cucurri, neque in uacuum laboraui. ¶ Qui talem deo populum acquisiui. **u** ¶ Sed & si im-

minē Iesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est dei patris. Itaque charissimi mei sicut semper obedistis, non in praesentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu & tremore uestram salutem operemini. Deus est enim qui operatur in uobis, & uelle & proficere pro bona uoluntate. Omnia autem facite sine murmurationibus & habitationibus, ut sitis sine querela, & simplices filij dei sine reprehensione in medio nationis prauae atque peruersae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, uerbum uitae continentibus, ad gloriam meam in die Christi, quia non in uacuum cucurri, neque in uacuum laboraui. Sed & si immolor supra sacrificium & obsequium fidei uestrae, gaudeo & congratulor omnibus uobis. Idipsum autem & uos gaudete & congratulamini mihi. Spero autem in domino Iesu Timotheum me cito mittere ad uos, ut & ego bono animo sim, cognitis quae circa uos sunt. Neminem enim habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro uobis sollicitus sit. Omnes enim quae sua sunt, quarunt, non quae Iesu Christi. Experimentum autem eius cognoscite, quoniam sicut patri filius mecum seruiuit in euangelio. Hunc igitur spero me mittere ad uos, mox ut uidero quae circa me sunt. Confido autem in domino, quoniam & ipse ueniat ad uos cito. Necessarium autem existimaui Epaphroditum fratrem & cooperatorem & comilitonem meum, uestrum autem apostolum, & ministrum necessitatis meae mittere ad uos, quoniam quidem oēs uos desiderabat, & molestus erat, propterea quod audieratis illum infirmatum. Nam & infirmatus est usque ad mortem, sed deus misertus est eius. Non solum autem eius, uerumetiam & mei, tristitia super tristitiam haberem. Festinantius

ergo mi-

molor supra sacrificium &c. ¶ Etiam si occidar, quia sacrificium & obsequium fidei uestrae obruli deo: uincit profectus uestri gaudium, tristitiam poenae uel mortis: siue iam non timeo mori, sacrificio fidei uestrae consummato: siue quia uestrae fidei ministraui. **x** ¶ Idipsum autem & uos congratulante & congratulamini mihi. ¶ Quia mihi grande praemium est pro uobis occidi, siue quia mihi expedit solui. **y** ¶ Spero autem in domino Iesu Timotheum me cito mittere ad uos. ¶ Dat exemplum non temere quod definiendi, sed omnia spe domini promittendi. **z** ¶ Vt ego bono animo sim, cognitis quae circa uos sunt. ¶ Vt sciatis quae uos meae passionibus minime teruerunt. **a** ¶ Neminem enim habeo tam unanimem qui sincera affectione pro uobis sollicitus sit. ¶ Qui ita mecum pro omnium uestrum salute sollicitus sit. **b** ¶ Omnes enim quae sua sunt, quarunt. ¶ Commotum uel quietem, nolentes pro anima tribulari. **c** ¶ Non quae Iesu Christi. ¶ Non curantes de corpore uel exemplo Christi qui pro omnium salute mori minime recusauit. **d** ¶ Experimentum eius cognoscite. ¶ Vt qualis sit noueritis. **e** ¶ Quoniam sicut patri filius mecum seruiuit in euangelio. ¶ Secundum hominem, propter homines factus obediens usque ad mortem. **f** ¶ Hunc igitur spero me mittere ad uos, mox ut uidero &c. ¶ Modo enim nimis incertus sum. **g** ¶ Confido autem in domino &c. ¶ Non solum illum mitto quem unicum habeo solatium. **h** ¶ Necessarium autem existimaui &c. ¶ Necessarium uobis & cooperatore propter euangelij opus. **i** ¶ Et comilitonem meum &c. ¶ Comilito propter honorem, quia & ipse acceperat in illis apostolatus officium. **k** ¶ Et ministrum necessitatis meae mittere ad uos. ¶ Quia uenit meae necessitati ministrare pro uobis. **l** ¶ Quoniam quidem omnes &c. ¶ Charitatem eius circa illos sollicita commendat, ut & ipse ab eis amplius diligatur. **m** ¶ Et molestus erat propterea quod audieratis infirmatum. ¶ Tristitia uestrae causa molestus erat, eo quod uos per infirmitatis suae nuntium paueret nimium contristatos. **n** ¶ Nam & infirmatus est usque ad mortem &c. ¶ Vt maiorem dolo cendo colligat fructum. **o** ¶ Non solum autem eius, uerumetiam & mei &c. ¶ Ne tristitia carceris tristitia delationis augetur. **p** ¶ Festinantius ergo misi illum, ut uisito illo &c. ¶ Pro cuius noui uos absentia contristari.

H 3 ¶ Et ego

A **a** ¶ Et ego sine tristitia sim. Quā mihi uestra tristitia generat. **b** ¶ Excipite itaq; illum cum omni gaudio in domino. Soluentes si quem scrupulum de eius tarditate animus forte susceperat. **c** ¶ Et eiusmodi cum honore habetote. Non solum hunc qui uester est doctor, sed & omnes qui talis gratia sunt honorate.

d ¶ Quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit. Qui mihi non timuit in carcere ministrare. **e** ¶ Tradens animā suam. In manus inimicorum: hoc est paratus ad mortem. **f** ¶ Ut imple-ret id quod deerat. Ut reliquū uestri erga me solus imple-ret obsequium. Cap. III

De cetero frēs mei gaudete in domino. Eadē uobis scribere mihi quidem non pigrū, uobis autem necessariū. Videte canes, uidete malos operarios, uidete concisionem. Nōs enim sumus circumcisio, qui spiritu serui-mus deo, & gloriāmur in Christo Iesu, & nō in carne fiduciam habentes, quanq; & ego habeam cōfidentiam in carne. Si quis aliis uidetur cōfidere in carne, ego magis circumcisus octauo die ex genere Israel de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem pharisæus, secundum æmulationem persequens ecclesiam dei: secundum iusticiam quæ in lege est cōuer-satus sine querela. Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratum sum propter Christum detrimenta. Veruntamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi domini mei, propter quem omnia detrimentū feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrificam, ut & inueniar in illo, non habens meam iusticiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Iesu, quæ ex deo est iusticia in fide, ad cognoscendū illum & uirtutem resurrectionis eius, & societatem passionis illius, cōfiguratus morti eius, si quō modo occurrā ad resurrectionem, quæ est ex mortuis, non quōd iam acceperim, aut iam perfectus sim. Sequor autem si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu. Frātres ego me non arbitror comprehendisse. Vñm autem, quæ quidem retro sunt obliuiscens: ad ea uero quæ sunt priora extendēs me ipsum, ad destinatum persequor brauium supernæ uocationis dei in Christo Iesu. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sen-

B **i** ¶ Vobis autem necessariū. Sicut hortato crebrius irrigari. **k** ¶ Videte canes. Hic contra pseudoapostolos ait Christi euangelium lacerantes. **l** ¶ Videte malos operarios. Qui quod nos bene construximus, destruere conantur. **m** ¶ Videte concisionem. Concilio enim potius q̃ circumcisio sunt dicendi. **n** ¶ Nos em̃ sumus circumcisio &c. Nos sumus uiri Iudæi, qui non unius mēbris pellem, sed totius carnis uitia amputamus, spiritualit̃ scilicet circumcisi. **o** ¶ Et gloriāmur in Christo Iesu &c. In sola fide Christi, nō in circumcissione carnali.

p ¶ Quanquā & ego habeam &c. Ne quis putet me hoc ideo dicere, quia ego gloriandi causam non habeam, & idcirco non glori-
q ¶ Si quis aliis uidetur cōfidere in carne &c. Quia ex illis forte aliqui erant profelyti: ego secundum genus non post annos, ut aliqui peregrini. **r** ¶ De tribu Benjamin. Quæ semper cum Iudæa coniuncta fuit. **s** ¶ Hebræus ex Hebræis. Non ex gentibus profelytis.

t ¶ Secundū legem pharisæus. Legis peritus uel diu-sus à turba, qui non possem posse quod probarem. **u** ¶ Secundum æmulationē &c. Tantam habui æmulationem, ut nescius etiam ecclesiam insectarer. **x** ¶ Secundum iusticiam &c. Primus fui in omnibus in quibus illi falso gloriantur, sed quia hoc tempore illa nō ualere cognoui, ideo illa nullius duco momēti, & tanquam

impedimenta profecto quibus me uitam acquirere pos-se putabam. **y** ¶ Cōuersatus sine querela. Omnium iustificationum & ceremoniarū purificationem & man-data complebam, sed hæc nulla putauī dum crederem Christo quæ lex ipsa pmiserat. **z** ¶ Sed quæ mihi fue-

runt lucra, hæc arbitratum sum propter Christum detrimenta. Ad comparationem inuenti auri, con-temnitur aramentū, quamuis ab uno sit conditum, & pro tem-poris qualitate neces-sarium. **a** ¶ Verun-tamen existimo omnia detrimentum esse &c. ut stercora &c. Stercora ciborū sunt reliquæ, & quōdam rerum utilium purga-menta. **b** ¶ Ut Christum lucrificā &c. Ut Christū habeam caput, & eius inueniar membrum. **c** ¶ Nō habēs meā iusticiā. Hoc est meo labore quæsitam. **d** ¶ Sed illam quæ ex fide est Christi Iesu &c. Sed illam quæ à deo proprie & sola fide collata est Christianis.

e ¶ Ad cognoscendū illum. Ut beneficiū eius perfecte cognoscam. **f** ¶ Et uirtutē resurrectionis eius. Quia ideo surrexit ut nos similiter resurgamus. Qui autē hoc uere cognoscit, satis agit, si omnino nō peccet. **g** ¶ Et societatem passionis illius. Si enim compatimur & conuiui-mus. **h** ¶ Si quo modo occurrā ad resurrectionem &c. Ad illam quæ perfectorum est proprie, nō ad illam quam etiam inuitos habere necesse est.

i ¶ Nō quod iam acceperim. Quia mundi nondum finis ad-
k ¶ Aut iam perfectus sim. Adhuc ait se de perfectione hac, & de tali resurrectione suspensum. **l** ¶ Sequor autem si quo modo comprehendam &c. Si comprehendā meritum apostolatus, in quo apostolatu à Christo sum comprehensus. **m** ¶ Frātres ego me &c. Se humiliādo, omnibus gloriā tollit, & uniuerfos prouocat ad perfectionem. **n** ¶ Vñm autē quæ quidem retro sunt obliuiscens. Hoc solū scio, quia quotidie proficio, & prateritū laborem nō cōputans, ad priora festino: siue legis obliuiscēs ad pfecta euangelij præcepta me teneo. **o** ¶ Ad destinatum persequor &c. Quod pfectus deus pmisit in Christo in cœlis: qđ nō nisi uincentes accipiēt. **p** ¶ Quicumque. Quomodo negat se esse pfectū, si alij sunt, nisi huius militatis

uenit, sed in spe est quod credimus, non in re. **k** ¶ Aut iam perfectus sim. Adhuc ait se de perfectione hac, & de tali resurrectione suspensum. **l** ¶ Sequor autem si quo modo comprehendam &c. Si comprehendā meritum apostolatus, in quo apostolatu à Christo sum comprehensus. **m** ¶ Frātres ego me &c. Se humiliādo, omnibus gloriā tollit, & uniuerfos prouocat ad perfectionem. **n** ¶ Vñm autē quæ quidem retro sunt obliuiscens. Hoc solū scio, quia quotidie proficio, & prateritū laborem nō cōputans, ad priora festino: siue legis obliuiscēs ad pfecta euangelij præcepta me teneo. **o** ¶ Ad destinatum persequor &c. Quod pfectus deus pmisit in Christo in cœlis: qđ nō nisi uincentes accipiēt. **p** ¶ Quicumque. Quomodo negat se esse pfectū, si alij sunt, nisi huius militatis

A militatis gratia hoc dictū accipias? Quicumq; perfectus est hoc sentiat, uetera scilicet obliuiscendo, & noua sectando: quia perfecti debent esse discipuli Christi: licet superius de perfectione pramij, hic uero de scientia sit locutus. **a** ¶ Si quid aliter sapitis, & hoc uobis deus reuelabit. Si quid alij deus reuelauit: Aliter inquit non aliud hoc est alia assertionem non fide. **b** ¶ Veruntamen ad quod peruenimus. Ad perfectionem noui testamenti. **c** ¶ Ut idem sapiamus. Idem sit, aliter scilicet alter non astruat. **d** ¶ Imitatores mei estote fratres. Me sequimini, non falsos apostolos. **e** ¶ Et obseruate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Dupliciter dicitur obseruare, uel ad imitandum ut hic: uel ad cauendum sicut ad romanos ait: Obseruate eos quod dissensiones & offensacula faciunt. **f** ¶ Multi enim ambulant: quos saepe dicebam uobis. De his dicit qui spiritus passionis Christi per quam peccata dimissa sunt auferentes, in legis ceremonijs scolocabant. Potest & de Iouiniani studijs accipi, qui Ieiuniorum affectionem & omnem corporis cruciatum, in luxuria & epulas conuerterit. **h** ¶ Nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi. Notandum quod uero affectu, omnium salutem optauerit, qui etiam inimicos crucis Christi desolebat, ultro in interitum properantes. Quorum finis est interitus. **i** ¶ Quia in corruptione seminant carnis. **k** ¶ Quorum deus uenter est. Qui se in hoc putant deo seruire, si comedant, non audientes prophetam dicentem: Si manducaueritis & biberitis, nonne uos manducatis & bibitis? **l** ¶ Et gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt. In circuncisione ueracundi membri. **m** ¶ Nostra autem conuersatio in coelis est. Hoc non potest dicere terrenis uitijs mancipatus. **n** ¶ Vnde etiam saluatorem expectamus dominum nostrum Iesum Christum. Qui caput est nostrum. **o** ¶ Qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae. Sicut monstrauit in monte, cum unum ex uiuentibus & unum ex mortuis, claritatis suae corpori configurat: exemplum resurrectionis ostendens & in mortuis & in uiuentibus. **p** ¶ Secundum operationem qua possit sibi subijcere omnia. Quia non solum conformauit nos, sed etiam corpori suo omnia fecit esse subiecta: siue secundum sententiam qua sibi cuncta subiecit, etiam hoc illi possibile est.

Cap. IIII.

Itaque fratres mei charissimi & desideratissimi. Quia

perfectiores. **r** ¶ Gaudium meum & corona mea. Per uos in praesenti iustificor, & in futuro coronabor. **s** ¶ Sic stete in domino charissimi. In sola Christi fide, ut superius comprehendere, spem ponentes & in conuersatione coelesti. **t** ¶ Euodiam rogo & Syntychem de

precor idipsum sapere in domino. Quod dicit, id est. una mecum haec mulieres scientes erant legis: quia similiter ut istas eadem sentire commemorat & hortatur. **u** ¶ Etiam rogo te & germane compar. Germanus dictus est nomine, qui erat compar officij. **x** ¶ Adiuua illas quae mecum laborauerunt in euangelio. Non uiros sed feminas quae erant docentes, non in ecclesia sed in domo. **y** ¶ Cum Clemēte & ceteris adiutoribus meis.

Clemens ex philosopho magistrae doctrinae uir, qui Romae episcopus fuit. **z** ¶ Quorum nomina sunt in libro uitae. Nemo leste ferrent sua nomina in hac epistola comprehensa, scripta esse dicit in coelis. Huius libri etiam Moyses & Dauid meminit & dominus in euangelio.

a ¶ Gaudete in domino semper. Quia seculi gaudium non habetis. **b** ¶ Iterum dico gaudete. Repetit, ut magis ac magis gaudium confirmetur. **c** ¶ Modestia uestra nota sit omnibus &c. Iudais & gentibus omnibus:

qui uos tribulant & persequuntur. **d** ¶ Dominus enim prope est. Scit quid opus sit antequam petatis ab eo: siue de congruentibus cogitationibus sollicitudinem gerite: quoniam dominus nobis prope sit, optime nouistis, secundum illud: Iuxta est dominus his qui tribulato sunt corde. **e** ¶ Nihil solliciti sitis. Nolite cogitare quid manducetis aut quid induamini, haec omnia gentes inquirunt. **f** ¶ Sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione, petitiones uestrae innotescant &c. Non cum murmuratione, aut tristitia: tunc potest oratio uestra digna esse auribus saluatoris: si pro omnibus quae patimini gratias referatis sicut apostoli faciebant. **g** ¶ Et pax dei quae exuperat omnem sensum custodiat corda uestra &c. Quia malos sustinet & ingratos. Christus pax quia pro suis persecutoribus exorabat, si recogitemus omnem mentem superat & inclinatur. Haec ergo pax corda & intelligentias uestras exemplo Christi custodiat. **h** ¶ De cetero fratres. Ad extremum ut omnia breuiter comprehendam. **i** ¶ Quaecumque sunt uera. Permanenda. **k** ¶ Quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia &c. Quia omnis natura humana nouit diligenter amare quod bonum est.

H 4 ¶ Si

A ^a ¶ Si qua uirtus, si qua laus disciplinæ: hæc cogitate quæ & didicistis &c.] Virtus tolerantia siue laus conuersationis, & reliqua bona, quæ & didicistis uerbo, & accepistis exēplo & audistis auribus & uidistis oculis: hæc tantummodo cogitate. ^b ¶ Hæc agite.] Non enim sola sine actu sufficit cogitatio. Hæc posteriora, illa explanant superiora. ^c ¶ Et deus pacis erit uobiscum.] Si hæc non modo cogitetis, sed etiā facietis. ^d ¶ Gaius autem sum in domino uehementer: quoniam tandem aliquando refluuistis &c.] Iterū florem boni operis recepistis, qui mei immemores occupatione non uoluntate arefacti, fueratis effecti. ^e ¶ Non quasi propter penuriā dico.] Non propter meam inopiam, sed propter uestrum fructum dico me esse gaudium. ^f ¶ Ego enim didici in quibus sum sufficiens esse.] A Christo omnia æquanimiter ferre sum edoctus. ^g ¶ Scio & humiliari, scio & abundare. ^B Vbiq; & in omnibus institutus sum, & satiari & esurire & abundare & penuriā pati.] Ut nec abundantia extollar, nec frangar inopia. ^b ¶ Omnia possum in eo qui me confortat.] Dans intelligentiā, uel sua doctrina confirmat. ⁱ ¶ Veruntamen bene fecistis, communicantes tribulationi meæ.] Non enim debuit mea inopia uestrā impedire mercedem. ^k ¶ Scitis autem & uos Philipenses, quod in principio euāgelij quando profectus sum &c.] Quando profectus sum, scitis, quia uos solos à quibus sumptus accepimus elegimus, fideliores uos omnibus iudicantes. ^l ¶ In ratione dati & acce-

pti, nisi uos soli.] Dantes carnalia, spiritualia acceptis. ^m ¶ Quia Thessalonicam semel & bis in usum mihi misistis: non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantē in ratione uestra.] Abundans fructus orationis est, cum sanctis etiam absentibus ministratur.

ⁿ ¶ Habeo autem omnia & abundo: repletus &c.] Prouocat eos laudando & gratias referendo. ^o ¶ In odorem suauitatis.] Odor suauitatis, nō in re oblata, sed in mentis deuotione consistit: sicut sacrificium Noe deus de Gen. 8. d. scribitur odoratus, Esai. 6. cū ipse dicat nec carnis nec animalium sanguine se delectari. ^p ¶ Hostiā acceptam placentē deo.] Notandū quod elemosyna hostia appellatur: quæ sicut à sanctis oblata, accepta est, ita eorum qui in peccatis durauerint reprobat. ^q ¶ Deus autem meus impleat &c.] Quia ut perfecti alia desiderare nō poterāt, nisi quæ sunt secundū diuitias dei non seculi, & quæ ad gloriā pertinet Christi. ^r ¶ Salutate omnem sanctū in Christo Iesu &c.] Erant enim omnes sancti quos saluare iubet & omnes præcepit saluari, sicut & in omnibus epistolis facit, & proculdubio uerum di-

bonæ famæ: si quia uirtus, si qua laus disciplinæ: hæc cogitate quæ & didicistis & accepistis & audistis & uidistis in me. Hæc agite, & deus pacis erit uobiscum. Gaius sum autem in domino uehementer: quoniam tandem aliquando refluuistis pro me sentire, sicut & sentiebatis. Occupati autem eratis. Non quasi propter penuriā dico. Ego enim didici in quibus sum sufficiens esse. Scio & humiliari, scio & abundare. Vbiq; & in omnibus institutus sum: & satiari & esurire & abundare & penuriā pati. Omnia possum in eo qui me confortat. Veruntamen bene fecistis, communicantes tribulationi meæ. Scitis autem & uos Philipenses, quod in principio euāgelij quādo profectus sum à Macedonia, nulla mihi ecclesia communicauit in ratione dati & accepti, nisi uos soli: quia & Thessalonicā semel & bis in usum mihi misistis: non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantē in ratione uestra. Habeo autem omnia & abundo. Repletus sum exceptis ab Epaphrodito quæ misistis in odorem suauitatis, hostiā acceptam placentem deo. Deus autem meus impleat omne desiderium uestrū secundū diuitias suas in gloria in Christo Iesu. Deo autem & patri nostro gloria in secula seculorum: Amen. Salutate omnem sanctum in Christo Iesu. Salutant uos qui mecum sunt fratres. Salutant uos omnes sancti: maxime autem qui de Cæsaris domo sunt. Gratia dñi nostri Iesu Christi cū spiritu uestro. Amen.

xisse credendus est: Si uere sancti erant, peccatores utique non erant, & quia non peccatores sed sancti erant tam poterant esse quod erant, quam poterant non esse quod non erant. Igitur sanctos homines hac ratione esse possibile est. ^s ¶ Salutant uos omnes sancti: maxime autem qui de Cæsaris domo sunt.] Qui sunt nuper de Cæsaris domo conuersi.

COMMENTARIA
ria in epistolam ad
Colossenses.

P AULUS apostolus Iesu Christi per uoluntatem dei, & Timotheus frater, his qui sunt colossis sanctis &c. Gratia uobis &c.] Et Christo Iesu domino nostro. ^u ¶ Gratias agimus deo & patri domini nostri Iesu Christi &c. & dilectionem in omnes sanctos.] Si ne exceptione perso-

AD COLOSSENSES



P AULUS apostolus Iesu Christi per uoluntatem dei, & Timotheus frater, his qui sunt Colossis sanctis & fidelibus fratribus in Christo Iesu: Gratia uobis & pax à deo patre nostro. Gratias agimus deo & patri domini nostri Iesu Christi semper pro uobis orantes, audientes fidem uestram in Christo Iesu, & dilectionem quam habetis in sanctos omnes: propter spem quæ reposita est uobis in cœlis: quam audistis in uerbo ueritatis euāgelij quod peruenit ad uos: sicut & in uniuerso mūdo est, & fructificat & crescit

narum uel noticiæ, solum diligitis in omnibus sanctitatem.

^x ¶ Propter spem quæ reposita est uobis in cœlis: quam audistis in uerbo ueritatis euāgelij &c.] Nō propter hominū laudem, sed propter uitam æternam quæ in Christo est. ^y ¶ Sicut & in uniuerso mūdo est, & fructificat.] Aliud tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum, secundum parabolam seminantis. ^z ¶ Et